

charitate, & zelo feruens, Dei apparitione re-  
creatur. Antequam ergo Elias ad tantum retum  
apicem euocetur, pro tot donorum custodia, ei  
multa humilitatis excitamenta subiiciuntur, vt in  
tam sublimes fastigio absque vlla vanitatis aura  
firmus, & securus degat Propheta. S. Euchirius.  
Sancti viri, ait, qui, subleuante spiritu, ad sterna  
rapiuntur, quando in hac vita sunt, ne aliqua elatione  
superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur.  
Hinc est, quod Elias, dum tot virtutibus in alta  
profecisset, quadam mensura suspensus est, dum postmo-  
dum Iezabel fugit.

S. Euchir.

QUESTIO X.

Quare Christus dixit, quod ipsummet reci-  
piat, qui paruulum recipit?

67. Cathuf.  
Christus suis  
data, sibi sa-  
bia reputat:  
reges vero  
terra contra

ARTHUSIANVS Primò respondet. Me  
suscipit, ait, in membro meo mystico, quauis  
non in me ipso. Itaq; suscipit me, id est mihi fieri iudico,  
quod illi sit; & tam gratum est mihi, ac si mihi in  
propria persona exhiberetur. O ingens Christi ma-  
gnitudo! Obsequia famulis præstita, sibi facta re-  
putat, vt illa ipse persoluat. Quando fecistis vni  
ex his fratribus meis, mihi fecistis. Matth. 25. n. 40.  
At vero reges terræ famularum illis delatum ex  
feruorum bonis rependere disponunt, & impe-  
rant. Cum Dauid fugeret à facie Absalon, venit  
ei in occursum Siba portans secum cibaria qua-  
dam, quæ Regi obtulit. Cui ait Dauid: Tua sint  
omnia, quæ fuerunt Miphiboseth. 2. Reg. 16. num. 4.  
Cui tam largiter omnia illa sic concessit, ac sic  
datum alimentum rebus Miphiboseth recompen-  
sare non dubitat.

Matth. 25.

1. Reg. 16.

68.

Hieronym.

Christus in  
suis seruis  
honoratur.

Secundò. D. Hieronymus. Qui talis fuerit,  
inquit, qui Christi imiteret humilitatem, & inno-  
centiam, in eo Christus suscipitur. Et prudenter, ne,  
cum delatum fuerit Apostolis, se pueri honoratos,  
adsecit: non illos sui merito, sed Magistri honore  
suscipiendos. Ne Discipuli cogitent, quod hospita-  
litas illis delata, ob eorum merita ipsis obueneret,  
explicat Christus, quod non illorum causa, sed  
Magistri honore suscipiuntur. Vt inde fiat mani-  
festum, quod Dominus in suis seruis honoratur,  
& quod reuerentia, illis præstita ob Dominum,  
ipsi Domino deferunt.

69.

Abulens.

Charitas sine  
bonis sine ma-  
lis exhibitis,  
rammneratur.

Tertiò. Abulensis q. 28. Dixit hoc Christus, ait,  
ad tolendam nobis suspitionem de bono, vel ma-  
lo, quia essent homines dubij in bono suo in  
susceptione hospitem, credentes, quod si interdum  
malos recipere, tunc nihil mererentur: tollit hoc  
Christus dicens, me suscipit, id est si in nomine meo  
suscipiatur quis, siue bonus, siue malus sit, ego sus-  
cipior. Ita Abul. De charitate propter Dominum  
proximis exhibita, siue sint boni, siue mali, reddi-  
tur certi, quia cum Dominus in ipsis suscipiatur,  
à Domino mercedem habebimus.

70.

Paschal.

Christus in  
humilibus  
habitans.

Quartò. D. Paschasius lib. 8. in Matth. Ac si di-  
ceret Dominus, inquit, me suscipit, quia in talibus ipse  
sunt, qui se ipsos ita deiciunt, vt propter me ad tan-  
tam innocentiam redire velint, vt ad habitudinem,  
quam habent pueri ex arate, ipsi per rationem, &  
fidem suscipiant. Expende verbum, Quia in talibus  
ipse sum. Qui suscipit humilem sub puerorum typo,  
hic expressum Christum recipit; Christus enim in  
humilibus inest, & habitabit ei complacet humi-  
litas, vt in ea constituat suam sedem, & habitacionem.

Dilecto suo, vbi Christus requiescere solebat,  
ait Sponfa: Lectulus noster floridus. Cantic. 1. n. 16.  
Lectulus est diminutiuum, hoc est paruus lectus.  
Planus est, quod lectus debet proportionari suo  
locato: Cur ergo Sponfa ad tam immensum Do-  
minum excepiendum, cuius magnitudinem totus  
non capit orbis, non offert amplum, & latum le-  
ctum, sed angustum, & exiguum lectulum? Sponfa  
optime callebat sui Dilecti ingenium, qui ad sui  
sedem, & requiem, non magnos & excelsos re-  
quirat; inde non offert amplum, sed exiguum le-  
ctum: optime enim sciebat, quod nullo aptiori  
modo poterat eum ad se attrahere, ac allicere, vt in  
ea habitaret, ac requiesceret, quam si omnia sua,  
aliàs valde magna, in paruo, ac minimo iudicasset;  
ipsa namque eius demissio, ac humilitas, Dilecti  
præsentia, ac sedis efficax erat negotium. Cardi-  
nalis Hugo. Arguta insinuatione, ait, imitat Sponfa  
Sponsam ad amplexum ex sui opinione, qua semper se  
minuit: nam proprium solet esse humilium, vt semper  
de se sentiant infra quam sint.

71.  
Cantic. 1.

Humilitas  
solicite  
Christum, vt  
inhabitet in  
anima.

Hugo.

72.

Matth. 28.

Cantic. 3.

Cyrrill. Ierof.

Theophyl.

Humilitas  
Deum ad se  
attrahit.

Rediuitus, ac triumphator de morte occurrit  
Dominus Iesus sanctis mulieribus. Quæ cum  
ipsum agnouissent, Ille accesserunt, & tenuerunt  
pedes eius. Matth. 28. n. 9. In hoc enim facto adim-  
pletum est illud Animæ sanctæ dictum Cantic. 3.  
num. 4. Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum,  
nec dimittam. Sic ait D. Cyrillus Ierofolymitanus  
Catechesi 4. Tenuerunt illam, vt inpletur: Tenui  
eum, nec dimittam. Vnde illis tanta efficacia, vt sic  
Deum tenuerint, vt nunquam amplius dimitte-  
rent: Perpende, quod non dexteram petunt, sed ad  
pedes conuolant, Theophylactus. Ille, inquit, præ  
multa reuerentia pedes eius tenet, non audentes aliam  
corporis partem contingere, quam extremas illas. Et  
cum tanta sint humilitate prædita sanctæ mulie-  
res, inde tam vehementer tenuerunt, & astrinxerunt  
Dominum ad se, vt nunquam amplius eum  
dimitterent.

Matth. 18. Qui autem scandalizauerit  
num. 6. vnum de pusillis istis, qui  
in me credunt, expedit  
ei, vt suspendatur mola  
asinaria in collo eius, &  
demergatur in profun-  
dum maris.

VERSIONES.

Syriacus. Quisquis autem offendicu-  
lo fuerit vni ex istis mini-  
mis, qui credunt in me,  
satius ei fuerit, vt suspen-  
datur mola asinaria in col-  
lo eius, ac demergatur in  
profundis maris.

D. Paul. Ep. 6. Væ qui scandalizauerunt  
ad Seuer. vnum ex modicis istis.

D. Antiochius. Melius est ei, vt lapis mola-  
ris pendat à collo, & is  
proiciatur in mare.

Arias. Confer ei, vt demergatur  
in pelago maris.

ALTER TEXTVS.

Matth. 9. n. 42. Et quisquis scandalizauerit  
vnum ex his pusillis, cre-  
dentibus

dentibus in me, bonum  
est ei magis, si circumda-  
retur mola asinaria collo  
eius, & in mare mittere-  
tur.

Lucæ 17. n. 2. Vtilius est illi, si lapis mo-  
laris imponatur circa col-  
lum eius, & proiciatur  
in mare, quàm vt scan-  
dalizet vnum de pusillis  
istis.

EXPOSITIO V.

73.



Vo sermone pergit Dominus ostendens, in quanta æstimatione sint  
apud eum humiles. Hucusque egit  
apposito præmio humiles honoran-  
tibus; nunc verò designata poena  
eos contemnentibus, ac reicientibus. Qui autem  
scandalizauerit, Syriacus, offendiculo fuerit, seu vt  
legit Vatabl. offenderit. Quod explicans D. Chry-  
sost. homil. 59. ait, Qui despexerit, Theophylactus,  
iniuria affecerit; quod etiam tradunt Euthymius,  
D. Thomas. At verò D. Hieronymus interpretatur  
malum exemplum prælatorum. Ita ait: Si in hoc  
vitio, scilicet ambitionis, Discipuli permansissent,  
poterant eos, quos ad fidem vocabant, per suum scan-  
dalum perdere. Aptius dicendum est cum Iansenio.  
Verbum scandalizare, hoc loco significat, of-  
fendiculum alicui opponere, in quod impingat,  
& cadat, siue iniuria, siue prauo opere, exemplo,  
vel consilio, siue alio modo scandalum, seu offen-  
diculum exhiberit. Hoc enim modo sumitur hic  
scandalum, ac in sequentibus. Si manus tua, vel  
pes tuus scandalizat te, &c. Præclara tunc pa-  
ter Antiochus; ac si dicat Christus: Qui vnum  
paruulum suscipit in meo nomine, scilicet in mea  
fide, vel benignitate, ac amore fouerit, me sus-  
cipit: sic qui scandalizauerit vnum ex his pusil-  
lis verbo, & exemplo, melius est illi demergi in  
profundum.

Chrysof.  
Theophyl.  
Euthym.  
D. Thomas.  
Hieronym.

Iansenius.

Quid sit sca-  
dalizare.

74.

Damian.  
Leo.

Hieron.  
Non magni,  
sed pusilli  
scandalizantur.

75.

Paschal.  
Melius est  
supplicium  
corporale,  
etiã infame,  
quàm infer-  
ni poena.

Vnum de pusillis. Sicque vnum scandalizat, seu  
offendit verbo, exemplo, & opere; seu retrahit  
à fide, vt ait Petrus Damianus lib. 6. Epist. 32. tanta  
poena ei infligitur. Quale sit iudicium subterit, in-  
quit S. Leo Epist. 52. ad Anatolium, qui tot Eccle-  
siis, tot sacerdotibus scandalum inferre non timet.  
Preme verbum de pusillis. D. Hieronymus. Nota,  
ait, quod qui scandalizatur, paruulus est, maiores  
enim scandala non recipiunt. Offendunt, ac scan-  
dalizantur contumelia, prauo opere, vel exem-  
plo paruuli; at verò magni, & proceres in vitti-  
te in omnibus stant firmi, nulloque commouen-  
tur. Qui me credunt, hi scandalizantur mala do-  
ctrina, malo opere, & exemplo.

Expedit ei. Horum verbum sensus rectè colli-  
gitur ex D. Marco, qui habet: Bonum est ei ma-  
gis, si circumdaretur mola asinaria, & ex D. Luca  
scribente: Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur.  
Significat Christus Dominus vt rectè ponderat  
D. Paschasius, quod vtilius est scandalizatori, in  
pelagus demergi, seu morte corporali etiam in-  
fami affici, quàm quempiam scandalizare; hic  
enim Deum offendit, tartaræque ignis supplicium  
incurrit, quod multò grauius est, quàm quælibet  
submersio corporalis. Mola asinaria. Mola leuis,  
quæ manu truditur, dicitur trasatilis, seu manua-

lis; quæ verò asinaria appellatur; est valde præ-  
grandis, quæ ab asino circum agatur. Hæc erat,  
vt referunt D. Hieronymus, D. Paschasius, Alber-  
tus Magnus, maiorum criminum poena apud Iu-  
dæos, & Palestinos, vt reus ligato saxo in mare  
præcipitaretur. In profundum, vt homo carno pec-  
catorum inuolurus irremediabiliter absumatur. Sy-  
riacus habet, In profundis. Ac si melius sit in mul-  
ta supplicia temporalia demergi, quàm in vnum  
peccatum mortale prolabi.

Hieron.  
Paschal.  
Alb. Magnus.

Syriacus.

QUESTIO XI.

Quare scandalizatori non alia assignatur  
poena, nisi mola asinaria suspensa  
in collo?

MOLA asinaria est lapis magnus ad molen-  
dum triticum, verbi gratia. Vnde D. Lucas  
scribit lapis molaris. Dicitur autem à D. Marthæo,  
& Marco, Asinaria, quia ob sui magnitudinem  
solet trahi ab asinis, & non ab homine. Lucas  
Burgensis, & Cornelius à lapide volunt, quod hic  
intelligatur inferior lapis molaris, qui superiore  
maior est. Circa ipsum lapidem inferiorem im-  
motum superior rotatur. Inferior enim. Græce  
appellatur asinus, eo quod instar asini omne su-  
perioris pondus sustineat.

76.  
Mola asina-  
ria.  
Burgensis.  
Cornelius.

Saxo alligato ad collum demergi in profun-  
dum, pro maximis criminibus dabatur in terra  
Chanaan, ideo præ cæteris hanc poenam hic assi-  
gnat Dominus, quia melius erat, quod illa homo  
premeretur in hac vita, quàm quod, peccando,  
vnum ex pusillis offenderet, quia, vt ait D. Hie-  
ronymus, Melius est pro culpa breuiter recipere po-  
enam, quàm æternis seruari cruciatibus.

77.

Hieronym.

Maximè ponderandum, vt rectè notatur  
D. Chrysostomus homil. 59. & Abulensis q. 34.  
Quod, sicut superius dixit Dominus, Qui suscipit  
vnum paruulum, quæ suscipit, hic, vt videbatur con-  
sequens; non dixit, Qui scandalizat vnum de pu-  
sillis illis, me non recipit; sed supplicium tempo-  
rale assignat, vt suspendatur mola asinaria. Quia,  
ait Abulensis, cum Discipuli adhuc rudes extarent,  
nesciebant, qualis poena esset, non habere secum Chri-  
stum spiritualiter habitantem; posuit poenam illam  
temporalem, quæ maximè eos mouere poterat. Ali-  
quando homines magis deterrentur poena corpo-  
rali, quàm damno spiritali.

78.

Chrysof.  
Abulens.

Aliquando  
homines plus  
mouentur  
poena corpo-  
rali, quàm  
damno spiri-  
tuali.  
Abulens.

Ad questionem respondet primò Origenes ho-  
mil. 5. in Matth. Asinaria mola imponitur scandalizanti  
vnum de pusillis in Christum credentibus, vt de-  
mergatur in profundum maris. Asinaria autem mola  
non irrationabiliter dici potest corpus grauissimum ho-  
minis mali, quod semper deorsum trahit, vt demer-  
gatur in abyssum. Hoc supplicium assignatur præ  
cæteris ob summam grauedinem mola asinariae,  
qua homo demergitur in profundum, vt denote-  
tur ingens pondus, quod secum peccatum importat,  
vt præcipitetur miser homo in abyssum. Crea-  
to homini præcepit Deus: Ex omni ligno Paradisi  
comede. Genes. 2. num. 17. At post peccatum ait Ili:  
Comedes herbam terræ. Genes. 3. num. 18. Quod  
ponderans Nonarius Epistol. de Cibis Indicis  
cap. 2. inquit: A pomi usu ad fruges contulit culpa  
conditionem conscientia ipso situ corporis approbante,  
manu & innocentia decerpentes alimenta ex arboribus  
adhuc sibi bene conscios homines ad superna subere-

79.

Origenes.

Peccatum  
pondus gra-  
uissimum.

Genes. 2.  
Genes. 3.



xit, & commissum delictum ad conquirenda frumenta homines, & terra solus, deiecit. In alimento concessio naturam status expressit Deus. Perseuerante innocencia dantur fructus arborum, vt ex conditione innocentia ad superna eleuet oculos. Post peccatum verò assignatur fructus terre; ac si peccati pondere oppressus, ad alta non valeat erigi, sed ad ima, ac inferiora ruat.

80. Ambros. Secundò. D. Ambrosius lib. 8 in Lucam cap. 18. *Nome, ait, tibi videtur tanquam molam asinariam veluere quandiu in imperitia sua errore versatur, scilicet homo, aperta mentis cecitate suffusus, vt vultum animi erigere ad Deum, & oculos cordis aperire non nouerit? & ideo sine ulla alacritate, vestigijs in se sepe redeuntibus inuisus vsui laborat alieno.* Cur non alio pondere submergitur, sed mola asinaria? Vt ibi conditio peccatoris similibus iumento, molam versanti, exprimat. Iumentum hoc operis oculis agitur, & in eisdem vestigijs semper circumuoluitur: ita & peccator, tanquam insipiens iumentum, à sua libidine agitur, suaque turpitudine obsecutus semper suis vitis insilens circumuoluitur, in illisque ex vno in aliud se precipitat.

81. Chrysof. Tertio. D. Petrus Chrysofologus serm. 27. inquit: *Bene ergo illi, sicut alibi, dixit, vt mola asinaria colligetur collo eius, & inde sumat pœnam, unde sumpsit & sensum; & exequetur iumentis insipientibus, qui noluit hominibus, superna sapientibus, comparari.* Peccator, tanquam iumentum, collo alligatur ad molam, vt demergatur. Sed cur potius collo, quam manu, vel pede altringitur? Per guttur hauritur gustus, inde & ibi pœna infligitur. Vbi enim peccator dulcedinem suatum voluptatum inuenit, ibi & simul sibi pœnam comparat. *Et inde sumat pœnam, unde sumpsit sensum.*

82. Chrysof. Quarto. Idem D. Chrysofologus. *Quare non lapis, sed lapis molaris? Quia lapis molaris, dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline sursum dunt fecerit, panem pie laborantibus subministrat. Bene ergo illi, qui elegit minister scandalis magis esse, quam pacis, ad collum lapis alligatur molaris: vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam.* Lapis molaris, dum girat, à nobili farina sursum dunt fecerit: bene ergo scandalizatori lapis molaris alligatur ad collum. Siquidem degens in hoc saeculo, in quo erat farina probitatis, & futurus iniquitatis, neglecta probitate elegit malitiam; satis congruè mola illi suspenditur, vt pro sua magna miseria inde habeat mortem, unde reportare poterat vitam.

83. Ambros. Quintò. D. Ambrosius citato lib. 8. in Lucam, cap. 18. Expedit ei, vt mola asinaria suspendatur in collo eius: *Plus enim, ait, proficit ad reprimenda peccata, inaudiu generis, ac deformis belluina quaedam pompa supplicij.* Cur in scandalizatore non aliam pœnam minatur Dominus? Vel, cur gehennæ flammam ei non obicit? Cur molam asinariam collo suspensam opponit? Hæc pœna valde infamis reputabatur, vt pote iumentorum, ac brutorum propria, indeque specialiter Christus illam commemorat ad reprimenda scandala. Infamia nota maximum horrorem ingerit; grauius enim ingenitos viros à quolibet facinore deterret, ac continet, ne tanquam degeneres habeantur. Nulla autem maior infamia, quam omnia humana conditione, tanquam bellua reputari.

84. Ob magna peccata, multasque idololatriæ abominaciones, obque sancta prophanata, ac conculcata, grauius minatus est Deus supplicia Babylonico populo, vt sic forte respiciens, à delictis suis retrahatur, dicens: *Descende, sede in puluere, Virgo filia Babylon, sede in terra: non est solum filia Chaldaeorum, quia ultra non vocaberis mollis, & tenera. Tolle molam, & mole farinam.* Isaia. 47. n. 1. Mandatur filia Babylonica, vt suum decorem deponat, descendatque à regali folio, & in puluere sedeat; ac inde adiungitur, vt mola alligetur, hoc que illi assignatur tanquam omnium miseriarum compendium. Nonne erat maior calamitas, quod in montem abiret, filiosque suos interfectos videret? Hoc tamen omisso, mola alligatio apponitur, & nulla maior miseria, quam quod reiecta humana conditione, ferulem, ac infamem brutorum resumeret. D. Cyrillus Alexandrinus *Volens, nolens, ait, seruitutis miseriam subibis: molas farinam, apparebis nuda? Retegetur ignominia tua, apparebunt dedecora tua.* Sicque Sanfon pro magno opprobrio comprehensus ab aduersarijs hoc supplicio afficitur, vt ad molam alligatus triticum tereret. Iudic. 16. num. 21. Vide tom. 3. cap. 9. n. 107.

nico populo, vt sic forte respiciens, à delictis suis retrahatur, dicens: *Descende, sede in puluere, Virgo filia Babylon, sede in terra: non est solum filia Chaldaeorum, quia ultra non vocaberis mollis, & tenera. Tolle molam, & mole farinam.* Isaia. 47. n. 1. Mandatur filia Babylonica, vt suum decorem deponat, descendatque à regali folio, & in puluere sedeat; ac inde adiungitur, vt mola alligetur, hoc que illi assignatur tanquam omnium miseriarum compendium. Nonne erat maior calamitas, quod in montem abiret, filiosque suos interfectos videret? Hoc tamen omisso, mola alligatio apponitur, & nulla maior miseria, quam quod reiecta humana conditione, ferulem, ac infamem brutorum resumeret. D. Cyrillus Alexandrinus *Volens, nolens, ait, seruitutis miseriam subibis: molas farinam, apparebis nuda? Retegetur ignominia tua, apparebunt dedecora tua.* Sicque Sanfon pro magno opprobrio comprehensus ab aduersarijs hoc supplicio afficitur, vt ad molam alligatus triticum tereret. Iudic. 16. num. 21. Vide tom. 3. cap. 9. n. 107.

Matthæi 18. Vx mundo à scandalis: necesse est enim, vt veniant scandala: veruntamen vx homini illi, per quem scandalum venit.

VERSIONES.

Varabius. Vx mundo ab offendiculis: necesse est enim, vt veniant offendicula: veruntamen vx homini illi, per quem offendiculum venit.  
Euthymius.  
Arabicus. Vx mundo per scandala.  
Syriacus. Necesse est venire scandala.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 17. n. 1. Et ait ad Discipulos suos: Impossibile est, vt non veniant scandala: vx autem illi, per quem veniunt.

EXPOSITIO V.

OCASIONE superiotis sententia pertractat Diuinus Magister de scandalo, vt peste valde nocua, quo instruat omnes, tam bonos, quam malos, vt sollicitè fugiant, & dare, & pati scandala: boni, ne à sua bonitate decidant; mali verò, ne in peius ruant. Datur autem scandalum, seu offendiculum ambitione, malo exemplo, deprauato verbo, ac doctrina, persecutione, & irrisione iustorum. Hi autem rei sunt Gehennæ. Scandalizantur autem, & offendicula patiuntur, qui aliorum iniqua exempla, ac prauos mores verbo, & facto sequuntur: & hi, tanquam iniquorum sequaces, æternaliter perierunt. *Vx mundo à scandalis.* Deplorat Dominus miseriam mundi conditionem, cum plenus sit hominibus iniquis, qui suas cupiditates sectantur. Per mundum intelligit amatores

Peccator tanquam iumentum obsecutus in suis vitis circumuoluitur.  
Magni miseria, inde quis habere mortem, unde poterat habere vitam.  
Infamia nota maximum horrorem ingerit, grauius enim ingenitos viros à quolibet facinore deterret, ac continet, ne tanquam degeneres habeantur.

Hilar. Chrysof. Euthym. Theophyl. *Mundani quauis occasione, ac scandali, & periculi umbra mouentur, ac rapiuntur ad malum.*

86. Origen. Hieron. Chrysof. Beda. D. Thom. 1. Corin. 11. *Necesse est enim, vt veniant scandala.* Necesse dicit, non absolute, sed supposita hominum peruersitate, vt indicant Origenes, D. Hieronymus, D. Chrysofomus, Beda, Euthymius, D. Thomas, & alij. Sicut Paulus dixit 1. Corin. 11. num. 19. *Oportet, hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Sic eodem modo considerata humana malitia, ac pronitate, instigante Dæmone, oportet, seu necesse est, vt sint scandala, seu offendicula ab Hæreticis, superbis, & iniquis hominibus, vt manifestentur sancti, & humiles viri. *Veniunt autem vx homini illi, per quem scandalum venit.* Illud vx magnum supplicium Gehennæ denuntiat scandalizatoribus, cum tantum crimen libere, ac voluntate sua perpetrent. *Homini illi.* D. Hilarius, D. Remigius, D. Paschasius, D. Hieron. hominem hunc putant Iudam, qui proditorum crimine sui sanctissimi Magistri summum scandalum, in toto Orbe dedit. Tamen sententia hæc est generalis, quæ omnibus scandala dantibus æternæ condemnationis vx prænuntiat.

Hilar. Remigius. Paschal. Hieron.

Isaia 47.

Infamia nota ingens supplicium, vt terrent.

Cytil. Alcz.

Iudic. 18.

QUESTIO XII.

Quare ex visa Discipulorum ambitione, totius Orbis conditionem deslet Dominus?

87. *VM inter Apostolos, adhuc rudes, quædam de primatu ambitiosa contentio pullulasset, Quis maior esset in regno calorum? Respondens Dominus largam de eradicanda ambitione, scandaloque vitando habuit concionem; & tandem desletens miseram Orbis conditionem exclamans ait: Vx mundo à scandalis! Qua consequentia ex illa Discipulorum ambitione tenui ad totius mundi lamentum desleat? Quænam, Domine, facinora vides, quæ tuis, ac vniuerso mundo extemam ruinam pertimescere faciant, ingemiscis enim super vniuersum Orbem? Vx mundo à scandalis?*

88. Paschal. Respondet ad quæstionem D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Contra Apostolos, ait, id dictum intelligi potest, qui interrogando, Quis maior esset in regno calorum, videbantur de dignitate inter se contendere. Et si in hoc vitio permansissent, poterant procul dubio eos, quos ad fidem vocabant, suo scandalo perdere: dum viderent eos adhuc in fide infirmos inter se de honore pugnare.* De contentione Apostolorum totius Orbis interitum lachrymatur Dominus, *Vx mundo à scandalis.* Illud enim vx, quædam vniuersalem ruinam prænuntiat, vt dixi in expositione. Cur tanta iactura ex paucorum contentione timetur? Erat enim huiusmodi concertatio pro honoribus obtinendis in Apostolicis viris; in quibus res est adeo periculosa, vt inde vniuersis iactura imminere videatur. *Et si in hoc vitio permansissent, poterant procul dubio eos, quos ad fidem vocabant, suo scandalo perdere.* Er ideo tantis est Dominus ab exordio Euangelij vsque modo per varios discursus exhortans ad humilitatem, ac ad vitandum scandalum, vt sic à suo collegio talis eradicata repellatur contentio, ne illa fortè totus inficiatur, ac deperdatur Orbis.

Contentio de honoribus in Ecclesiasticis totam inficit, & perdit orbem.

Veniit vir Dei, ad Heli, prænuntians destructionem domus suæ. Et ait illi. *Hoc erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo,* 1. Reg. 2. num. 34. In Ægypto pro suis magnis delictis in vnaquaque familia vnus tantum moriebatur primogenitus: Cur familia Heli acerbius pœna infligitur, vt vna die duo filij occumbant? In Ægypto regnabat Idololatria, rebellio, ac obstinatio contra Dei mandatu; & tamen vnus primogeniti morte in vnaquaque familia Dominus est contentus; at verò filij Heli erant sacerdotes, multa ambitione adusti; bona enim sacrificantium sibi auferebant, eod. cap. 2. num. 12. &c. Deus autem nouo regimine Samuelis disponebat, rempublicam à prauis moribus restaurare, ac reformare. Moriantur ambo filij Heli vna die, nam si vno mortuo alius superstes existeret, ambitionis pestis, in illo vigens, totum regnum, ac orbem inficeret, & deperderet: occumbant ambo simul, vt destructis vitis cuncta redintegrentur, ac virtutes floreat. D. Gregorius Magnus supra citatum cap. 2. Reg. Vna die morientur ambo. *Hoc, ait, itaque de officio suscepti culmini, temporalem felicitatem amantes, audiant, & reatus sui magnitudinem pertimescant: quia, dum in pretextu mundana lætitia mortem ebibunt, potus sui pestem ad sequentium se multitudinem transmittunt, Preme verbum potus sui pestem.* Qui in Ecclesiastico culmine de suo fastigio elationem, ac ambitionem ebibunt, pestem effundunt, quæ alios valeat inficere, ac enecare.

Magna contentione contra Aaon, & Moysen surrexerunt Core, Dathan, & Abiron pro sacerdotali dignitate ambienda; in quos nouo, & inuitato modo diuina vltio defuxit. *Dirupta est terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque vni in infernum operi humo.* Numer. 16. num. 32. Cur viui tam præcipiti lapsu ab inferno absorbentur? Cur non more omnium creaturarum moriuntur super terram? Caut omnium Auctor, ne illorum pestifera ambitionis contagium orbem totum inficeret, ac contaminaret; & ideo disposuit, vt viui à gehenna deglutirentur. D. Ambrosius Epist. 82. *Ingens terra, ait, in medio plebis scanditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxy, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec æterem hauriant, nec calum visu, nec mare tactu, nec terram contaminaret sepulchro.* Et pro magis confirmanda hæc nostra assertione expende, quod terra deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum. Abforbuntur cum filiis, vxotibus, ac cuncta familia. *Et vniuersa substantia,* hoc est, vt transfertur ex Hebraico, cum omni re sua: ne quid ex tanta peste superesset, quod totum coinquinaret, ac corrumpere orbem.

QUESTIO XIII.

Quare Dominus luget scandala mundi, & ab ipso illa non remouet?

ER scandala hic præcipue intelliguntur persecutiones, vexaciones, ac afflictiones iniquorum contra iustos, vt dixi in expositione. Hæc autem scandala dicit Dominus necessaria, supposita hominum deprauatione, vt iam est explicatum.

89. 1. Reg. 2.

Greg. Maga.

Ambitio in Ecclesiastico, pestis est, quæ alios enecat. 90.

Numer. 16. Ambitio, vbi pestis, totum orbem coinquinat. Ambros.

Hebræus.

91.